

SCRIPTA

Numéro Scripta : 1306

Auteur(s) : Alain de Saint-Ouen, Bayeux (vicaire)

Bénéficiaire(s) : Bayeux (chapitre cathédral)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1287, avril

Lieu d'émission : Bayeux

Action juridique : autre

Langue du texte : latin

Analyse

Alain de Saint-Ouen, vicaire de l'église cathédrale, abandonne, pour son obit, au chapitre de Bayeux, une maison rue Franche, un pourpris à Saint-Patrice et une rente annuelle de 3 setiers de froment à Saint-Laurent de Bayeux.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Bourrienne Valentin (Abbé), *Antiquus cartularius ecclesiae Baiocensis (Livre noir)*, Rouen-Paris, Lestringant-Picard (Société de l'histoire de Normandie), 1902-1903, 2 vol., n° DXXXII, t. 2, p. 280-281.

Dissertation critique

Cf. Pâques tombe le 6 avril en 1287.

Texte établi d'après a

Universis præsentibus litteris inspecturis, Alanus de Sancto Audoeno, vicarius in ecclesia Baiocensi, salutem in Domino. Quoniam sanctæ matri meæ ecclesie Baiocensi, quæ me fovit hactenus et fovet cotidie, multipliciter teneor obligatus, et unde procedunt bona, illuc debent reverti, sciant omnes præsentibus et futuri quod ego, pure pro Deo, pro salute animæ meæ et antecessorum meorum, et pro obitu meo post decessum meum in dicta ecclesia, secundum ejus consuetudinem, annis singulis faciendo, capitulo ejusdem ecclesie dedi, concessi, et penitus dimisi quoddam masuagium, quod habebam in parrochia Sancti Stephani Baiocensis, situm in Franco Vico, inter domum hæredum Michaelis Petevine, ex una parte, et domum Johannæ Varneri, ex altera, sicut se porportat dictum masuagium a Franco Vico usque ad vicum domni Jordani. Et sciendum est quod Alexander de Maigneyo, presbiter chori Baiocensis, tenet ad vitam suam solummodo, pro duodecim solidis Turonensibus annui redditus, unam pecciunculam dicti masuagii, quæ est per deversus vicum domni Jordani ; sed, post decessum dicti presbiteri, ad dictum capitulum integre revertetur. Item, quoddam porprisium, quod habebam apud Baiocas, in parrochia Sancti Patricii, in vico qui dicitur la Poterie, inter masuagium quod quondam fuit magistri Symonis de Poteria, defuncti, ex parte una, et masuagium quod tenet in dotalicio uxor Symonis dicti la Ribelete, ex altera, una cum ædificiis et domibus existentibus in dicto porprisio. Item, tres sexteros frumenti, ad mensuram Baiocensem, annui redditus, quos ego percipiebam annuatim, ad festum sancti Michaelis, mense septembri, per manum Johannis de Arbore, clerici, in quadam peccia terræ, septem virgatas vel eo circa continente, sita in parrochia Sancti Laurentii Baiocensis, inter terram quæ fuit quæ fuit Ricardi dicti Le Bateor, ex una parte, et terram hæredum Thomæ Amiot, ex altera, una cum homagio dicti Johannis de Arbore. Cessi etiam et penitus dimisi dicto capitulo quicquid juris

et domini habebam et habere poteram in omnibus et singulis supradictis. Tenendum (?), et habendum (?), et in perpetuum possidendum (?) dicto capitulo masuagium, porprisium, et tres sexteros frumenti annui redditus prædictos, et totum usum fructuum eorum, cum homagio jure et dominio prædictis, libere, pacifice, et quiete, sine reclamatione mei vel hæredum meorum, salvo jure domini capitalis ; ita tamen quod dictum capitulum super quatuor solidis Turonensibus, duabus gallinis, viginti ovis annui redditus, quæ Philippus dictus Malchion in dicto porprisio annuatim percipit, erga dictum Philippum aut ejus hæredes dictum porprisium tenebitur acquitare. Et, ut hoc robur obtineat perpetuæ firmitatis, præsentem donationem et cartam sigilli mei testimonio confirmavi. Actum et datum anno Domini millesimo ducentesimo octogesimo septimo, mense aprilis, coram parrochiis antedictis.